



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

19 Haeresis crimen non potest per iudicem saecularem cognosci, sed ad ecclesiasticum ejus cognitio spectat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis superius expressis culpabiles, tradere, aut capturæ, & incarcerationi intervenire, & assistere<sup>20</sup> recusarent; tunc reverentiæ tamen Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores prædictos delinquentes minori, quo id fieri poterit, cum scandalo, & tumultu extrahere possunt. Verum postquam ab Ecclesiis, locisque sacris extracti, & capti fuerint, & ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto, & firmo carcere, & opportuna custodia, data illis, si opus fuerit, per curiam secularem sunt detinendi, nec inde extrahendi, curiæque seculari prædictæ sunt consignandi, vel tradendi, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina commiserint superius expressa, & confito de dictorum criminum commissione: tunc demando Episcopi per iudicem Ecclesiasticum Curiæ seculari quacunq; appellatione postposita sunt consignandi.

19 Non tamen pro crimine hæresis, cuius cognitio ad forum Ecclesiasticum a deo spectat, ut in ea Curia secularis se quomodolibet intromittere non possit, minusque contra Ecclesiasticas personas seculares, aut cuiusvis ordinis, vel militiæ etiam Sancti Joannis Hierosolymitanæ regulares quoquomodo quorumcumq; privilegiorum, indultorum, aut concessionum vigore; quæ omnia ad terminos juris fuerunt reducta. Quas nec ab Ecclesiis, monasteriis, domibus, locisque sacris, aut religiosis, etiam in casibus, supra expressis trahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum Ecclesiasticum

pertinentibus, aliâ quàm de jure, & per privilegia eisdem ordinibus, aut militiis concessa permittitur.

Si quis verò & quacunq; dignitate, & auctoritate præditus præmissorum, aut alio quovis prætextu, quicquàm præter, aut contra dictæ constitutionis tenorem attentare præsumperit, censuras, & pœnas easdem incurrit, quas libertatis, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores, per sacros Canones, & conciliorum generalium, aliasque Apostolicas constitutiones promulgatas incurrit: sicque per quoscunq; iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, in quavis instantia iudicari, & definiti debere mandavit: irritumque, & innane si secus super his per quoscunq; quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, deerevit, non obstantibus Pij & Sixti V. & aliorum quorumcumq; litteris Apostolicis, privilegiis, indultis, & facultatibus, quibus suis personis, etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Rebus publicis, Dominiis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris, & locis, eorumve Curii, Parliamentis, Senatibus, Consiliis, Communitatibus, Universitatibus, Collegiis, aut Præsidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, Potestatibus, aliisque Magistratibus, Officialibus, Ministris, aut Consiliariis, ex prædictis, vel aliis etiam gravioribus, & urgentioribus causis, tam illorum intuitu, & contem-

Q 2 pla-